

omnia quæ S<sup>ti</sup> V<sup>ræ</sup> suggerit de creatione Archipr. et de illa forma Regiminis instituenda, quam tanquam in Ecclesia Dei nouam et inauditam ad pacem inter Ecc<sup>los</sup> stabiliendam ineptam ægrè admiserunt nonnulli ex precipuis sacerdotibus, quod facile animaduertentur auctoritatem illam nomine tenus penes Archipresbyterum esse, re autem ipsa penes Personium et Jesuitas, ut ipsi sine inuidia artificiose quæ uelint in deprimendis et affligendis illis statuunt, qui non sine patriæ periculo et animarum dispendio, ferro et flamma, et externo milite rem geri, et plantari posse fidem, liberè profitentur et demonstrant: uirtute uero, humilitate, patientia, morte, et plantari et rigari et renouari ad fidem Regna, et solere et debere predicant, neque dari posse exemplum ubi armis restituta fuerit religio.

Huc igitur redeunt omnia Sanct<sup>m</sup> P. ut qui Apostolico more, sine vi, sine strepitu, sine tumultu, pacifice, patientèr, et modestè conuersionem Angliæ et animarum messem tractari uoluerunt, quique hisce tam uiolentis motibus et conatibus P. Personij ubiuus restiterunt pro factiosis habiti sint, fide et auctoritate apud exteros Principes exuti, et causæ publicæ et conuersioni Angliæ inimici sint habiti; cum in confesso sit, et persecut<sup>ni</sup> pabulum et animarum conuersioni impedimentum, et factionibus, et dissensionibus fomentum has Personij technas et tragedias præbuisse.

54, f. 142.

20. *Oratio exhibitæ S<sup>mo</sup> pro Rebus Catholicorum in Angliæ.*<sup>a</sup>

Cum nihil sit quod Sanc<sup>ti</sup> V<sup>ræ</sup> gratiùs aut optatiùs possit euenire quam quæ pro Catholicorum Anglorum salute pace et consolatione dicta, facta, et constituta sunt cum totum Ecclesiæ Angl<sup>æ</sup> corpus partesque singulas paterno affectu tenerrimè prosequaris, speramus fore aures illas sanctiss<sup>as</sup> et purgat<sup>nas</sup> quæ hereticis, schismaticis, sicarijs, et sacrilegis pro illorum salute plerumque patent, filiorum suorum lachrymis et lamentis non posse occludi, petimus ergo, ut uera narrantibus et iusta postulantibus, non inimicorum

<sup>a</sup> Presented by Cecil at his audience of the pope, 17 or 19 June.

potentia et auctoritas, non subornatus multorum clamor et strepitus, non chirographorum numerus, et catalogus (quæ aduersarijs nostris in promptu sunt omnia) plus ponderis et momenti habeant ad animum Sanctis suæ alienandum quam ueritas, ratio, innocentia, iustitia, testes ad fidem, ad gratiam, ad compassionem. Pro factiosis et seditiosis habentur omnes publica uoce, ingeminatis literis, continuis clamoribus, qui in Catholicorum causis, et contro- uersijs, non solum quæ interiorem hominem spectant, sed etiam quæ de politia et temporali rerum statu aguntur, P. Personij sensum et captum non cum applausu approbant, et conatus et cogitata eius (seditionis, et sceleris pleniss<sup>mas</sup>) de reducenda ad fidem Anglia non amplexantur et admittunt, et hinc nostræ lachrimæ, P. S<sup>te</sup>, hinc fundi nostri calamitas; non enim quam sanctè quam piè quam pudicè quis uixerit, quam doctè quam eruditè se gesserit, quàm strenue et grauiter pro fide certauerit, quot uincula, quot carceres, quot opprobria pro Xp'o sustinuerit hoc agitur, sed quarum sit partium, quàm morigerus, quam benè affectus in eum quem opinionis errore sibi finxit Personius Principatum. Ulcus est hoc et tactu durum et difficile, at necessarium tamen ut uel ferro uel unguento sanetur.

54, f. 142b.

Si uis igitur pacem in Anglia, B<sup>me</sup> Pater, si cupis à Catholicorum iugulis gladium et ceruicibus securim repellere, si uis saluam et sartam tectam religionem tueri, declaratio facta de innocentia sacerdotum publico aliquo instrumento est munienda, ut obstruatur os loquentium iniqua; non solum persona Archipresbyteri sed illa ipsa auctoritas et subordinatio tam odiosa tam suspecta, tam inuisa Principibus nostris, tam grauis et onerosa fratribus nostris, amouenda est et antiquanda; amouendi sunt et segregandi prorsus à castris et congressibus nostris Jesuitæ, prohibendi omnes ne rebus se politicis immisceant, ne magistratus animos exulcerent; cum Rege denique Christianissimo agendum est ut pro Catholicorum leuandis pressuris et miserijs apud Reginam intercedat. Denique humillimè petimus, ut Cardinalibus dies statuatur certus in quo de nobis nostrisque negotijs aliquid concludant; et hæc sunt præcipua

illa malorum et morborum nostrorum capita quæ moram nullam patiuntur sine graui totius corporis ruina. Cetera uero quæ radices ipsas et fontes malorum nostrorum aperient S. V. separatim in relatione seu informatione ista exhibemus.

Resp. [S<sup>m</sup>].

54, f. 143.

Vt liberè dicam, nescio quid dicam de istis uestris chimeris de libertate conscientiæ; omnia uestra huc tendunt ut Personium accusetis et excusetis illos qui modo ita bene apud nos intendunt. Verum quod ad innocentiam uestram attinet erit uobis authentice satisfactum. Quod ad Archpr. et subordinationem attinet faciemus iustitiam, Jesuitas à Regiminis vestri sollicitudine excludemus; quod ad sequentia capita attinet, cum res sint maximi momenti, post maturam deliberationem faciemus id quod pro Religionis propagatione iudicauerimus maxime expedire. Cardinalibus diem martis hora 22. post meridiem assignabimus: et preterea, si quid (quod uereor) uobis deerit, ad uitæ et uictus commoda providebimus.

Replicatio D. C[ecili].

54, f. 143b.

Quam male audiat apud infinitos recti et simplicis cordis Catholicos P. Personius, quam eius sunt suspecta et odiosa molimina Principibus multis Catt<sup>is</sup>, quousque vestro nomine et auctoritate sit abusus, quantas in Anglia excitauerit turbas, non est quod uerbis nostris aut accusationibus dari fidem postulemus; ex scriptis nostris quæ S.V. nostro nomine exhibebit Ecc<sup>mus</sup> Galliæ legatus S.V. facile iudicabit quæ fuerint P. Personij in patriam in Principem in Ecclesiam et fratres nostros officia: quod ad libertatem conscientiæ attinet, nihil à Regina nostra petimus aut peti desideramus, nihil uicissim promittimus nec in nos suscipimus nisi quod Iustinus martyr, Tertullianus, et alij Patres Imperatoribus in primatiua Ecclesia petierunt et promiserunt, nisi quod Ill<sup>mus</sup> Alanus bonæ memoriæ in sua Apologia seminariorum petijt et pollicetur, neque alios habet inimicos istiusmodi pacifica inter Christianos in re Religionis compositio pretèr puritanos inter hereticos et Jesuitas

inter Catholicos, qui prætextu zeli et pietatis statum politicum ubique perturbant, et ad democratiam omnia trahunt ut ipsi interim omnia regant.

Responsum S<sup>mi</sup>.

Videbimus quid de his dicat orator Christianissimi, et faciemus quicquid Catholicis prodesse iudicabimus sine religionis aut sedis huius preiudicio.

21. *Vna Nota per il p're Holto e tali confidenti amici à gli quali lui trouerà buono de comunicarla.\**

Le cause principali di questo mio viaggio sono de assettarsi con sua Santità et il P're generale tutti tali punti che si uederanno necessarij per il sostento degli seminarij de Spagna, Fiandra et Italia, et de gli missionarij de la società in Inghilt<sup>a</sup>, et però tutto quello che si presenterà a uoi intorno à quelli punti, cioè delle facultà, gouerno, priuilegij, e sostento, ò cose simili, io ui pregho et gli altri amici, di auuisarmi con tutta la breuità possibile, perche l' intentione mia ò de procurare che io no mene resti in Italia seno il manco che sia possibile io hò promesso in Spagna, et per diuersi ragioni serà molto necessario.

S' io posso ancora far' qualche opera bona nel co'porsi et accordarsi le con'uersie del Sem<sup>rio</sup> Inglese Romano, et delle differenze trà gl' altri della nat<sup>ne</sup> n'ra altroue, farò il meglio che posso, al manco spero di far' intendere à S.S<sup>ta</sup> et all' altre persone principali, il fundamento et le uere cause di queste controuersie. 54, f. 144.

Intorno alle cose del stato d' Inghilt<sup>a</sup> io intendo de mostrare al Papa come se ne stanno, e quanto sia necessario che sua S<sup>ta</sup> si ne

\* Tierney printed another abstract of this letter, dated correctly *March 15*, from the Italian in Parsons' own handwriting; and Plowden published an English translation in his *Berington's Panzani*, p. 350. Parsons himself printed a great part of it in English in his *Manifestation*, prudently omitting here, however, the passage about the Infanta. Tierney remarks that in the following July Parsons wrote to Juan d'Idiaquez that he had had an audience of the Pope, who "appeared as warm in the cause of the Infanta as could be desired" (iii. lvii–lix).